

num irrupisse, atque ita oppidum cum ingenti hostium multitudine captum. Alii post pugnam voluntariam ab oppidanis deditionem factam affirmant. Erat Borius Æstensis cum mille & quingentis equitibus ad Jenepaltam vicum, bina passuum millia ab loco ubi gesta res erat, castra ad vesperam cum Philippi ducibus collaturus. In eum igitur de eventu pugnae, quam ad Soncinum commissam acceperat, sollicitum, Sforciani milites fugientem hostem secuti, ex improvviso impetum fecere: parvo negotio ( quia omnes copias adesse credidit ) fuscum, impedimentis omnibus ac tertia equitum parte exuerunt. Sunt qui tradant, eum novissime pugnam inivisse, quando jam conferto praelio cum suo equitatu affuisset: verum re semel inclinata, quia restitui non posset, cum aliis acie victum excessisse. Philippi rebus duplici clade accisis, Urceani, misso ex fœdere præsidio, in fidem rediere: nec hi solum, sed omnia Brixienfis Bergomenfisque agri vici, arces, castella, oppida, & cum his Camonica Vallis incolæ, ultro imperium recepere. Annona ad hæc mirum in modum Brixia relaxata est: decuplo minoris triticum, omniaque frugum genera, quam paucis ante diebus passim venisse constat. Bergomum quoque eam sensit felicitatem. Ex utraque civitate legati ad Sforciam in castra venire, qui victoriam primo gratulati, ingentes ei gratias egere, quod ipsius virtute tam longa laboriosaque obsidione, quæ tres jam prope annos tenuisset, liberati essent: ac tum quum jam omnibus malis victi amplius resistere non possent, maturo præsidio, imo insperato victoriæ cursu, Veneto servati essent imperio: Prædicare itaque, prædicaturosque semper, post Venetum nomen, cui plus deberent quam Sforcia, esse neminem: illi uni salutem suam, fortunas, omnia demum divina & humana, & quod viverent ( quo charius nihil mortalibus esse soleat ) semper ei acceptum relaturos. Addiderunt Brixienfes quædam munera, pro præsentis fortuna haud omnino contemnenda, orantes illum cum lachrymis, ut suorum Brixienfium animum, non rem intueretur, quæ tam tenuis